



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

Vita Sancti Lamberti Martyris Et Episcopi Traiectensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

VITA  
SANCTI LAMBERTI MARTYRIS  
ET EPISCOPI TRAIECTENSIS.

AUCTORE  
ANONYMO QUIDEM, ΤΟΥ ΧΑΙΩΝΟΣ ΤΑΜΕΝ  
SANCTI LAMBERTI.

ITEM  
REVELATIO  
SANCTI LAMBERTI MARTYRIS.  
EODEM AUCTORE.

*Nunc primum e m. s. membranæ edita.*



T 2 IN

IN CHRISTI NOMINE  
INCIPIT PRÆLOCVTIO VITÆ

VEL OBITVS SANCTI LANDEBERTI

Pontificis, qui passus est XV. Kal. Octobr.

in villa nuncupata Leo-

dio.



*I* Pagani per figmenta, faua & nefanda plurima mendacia codicibus suis commendare studeant, vt eorum, qui narrant, & de quibus narratur, vana gloria discurrat; cur nos Christiani salutiferata-ccamus per Sanctos suos gesta miracula Christi?

Cum vel tenui sermone eorum possumus pandere virtutes. Et quamuis tanta rei narrationi, id est, vt d. viri Land-berri Pontificis opera loquamur, indigni videamur, tamen Christi caritas poscit, vt conuersationem vite eius, que ab adolescentia sua plurimis comperita fuit, & per viros prudentes cognita firmatur, Deo adiuuante narrare conemur. Plenissima igitur deuotione, & multo-rum precibus coactus, non leporem animosi sermonis inquirens, sed in publicum sine verecundia incultum sermonem promens, cursum vite eius, & gloriosam Martyrij palmam, sic ut per fideles viros & idoneos testes ad nostrum peruenisset auditum, effari contabo; vt cui vita est cū Christo in cælis, eius memoria celebretur in terris: presertim cum traditione Ecclesiastica, & Apostolica admonemur auctoritate, vt Sanctorum vitas iustas, & virtutes plurimas commemoremus; sic ut scriptum est: memoria iustorum cum laudibus. Et vt est illud: Lau- demus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi. Ergo dignum est, vt quotiescunq; Sanctorum Solemnia curriculo anniuersario celebra-

Proverb. 10.  
Eccli 44.  
Hebr. 11.

1711,

mus, ex eorum gestis aliqua ad edificationem fidei Christianorum conuenientia in Domini laudibus recitemus. Quoniam reuera Christiani muneris est, quidquid in Sanctis eius laudabile inuenitur. Igitur sancti ac beatissimi Antistitis Lambertii, annuente superna gratia, quamuis imperito sermone & impolita loquela, vitam & virtutes exordiri procuro.

FINIT PROLOGVS.

INCIPIT VITA.

**L**oriosus LANTBERTVS Pontifex, oppido TRAIECTENSIORI undus fuit, & ex parentibus locupletibus secundum sæculi dignitatem inter PRÆSIDES \* venerādos, & religione Christianissima altus est. Ipse autem in pueritia formosus & nobilis erat in gēte & in progenie sua, electus atq; benignus crescebat inter famulos atq; cognatos suos, vultu fulgente in omni affectu pollebat. Eminente autem ætate cū vidisset pater eius filiū à cunctis dilectum, & tantam illius in religione industriam, exultabat & gratias Deo agebat. Igitur à prima ferè ætate tradidit eum viris sapientibus & historicis sacris literis edocendum. Ille verò cum magno studio officio lectionis assidua adhæsit, & velociter ipsum consummauit. Cum autem imbutus fuisset à prudentissimis viris, reuersus est ad domum patris sui; & pueritiæ annos excedens, æuum adolescentiæ cum magna sollicitudine exercebat, & quotidie in bonis operibus crescebat, & spiritus sapientiæ & gratia humilitatis in eius vultu resplendebat.

\* al. venerandus.

Eo tempore diuinę dispensationis prouidentia, Summus Pontifex THEODARDVS oppidi TRAIECTENSIS Cathedralæ Pontificali præsidebat. Protinus pater eius cōmendauit

davit eum præfato Antistiti, diuinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aula regia erudiendum. Postquam autem ipse adolescens per doctrinam THEODARDI sapiens effectus esset, virtute adultus, aspectu amabilis, colloquio affabilis, rectam in operibus conuersationem habens tam cū Pontifice quàm in domo regia militare cepit ita vt omnibus hominibus sine personarum acceptione doctrinæ lucifluos riuos effudisset. Et cum iam esset forma præcipuus, fortis, & velox, agilis multum, firmus in bello, animo clarus, specie ornatus, caritate & castitate atq; humilitate fundatus, omnibus curis sæcularibus prætermissis, operi tantum lectionis vacabat. Et tantam gratiam in conspectu Pontificis inuenire promeruit, vt si secundum institutionem Canonicam licitum ei fuisset, eum quasi filium, heredem & successorem eligeret atq; optaret.

Interfecto autem prædicto Antistite THEODARDO copiosa multitudo virorum in regione illa habitantium, & cognoscentium prudentiam, & fidem, opera atq; conuersationem nobilissimam Sancti Lambertii, clam de eo mutuo eligere eum ad Pontificalem Sedem disponebat. Ergo optimates & illustres viri, qui eo tempore rectores Palatii videbantur, glorioso HILDERICO Regi famam Beati Lambertii innotuerunt, & actus eius non silentes, sed testimonium de eis perhibentes, persuaferunt, vt quia dignus erat sacerdotio fungi, & onus Pontificale accipere, in loco Episcopali ordinaretur. Habuitq; effectum eorum petitio, & libenter obtinuerunt, quod deuotis mentibus postulauerunt. Tunc per totius plebis in spiritu Sancto vnum consilium & simul Regis imperium, fauente Domino, à quo iam dudum electus erat, subrogatus est, vt præesset Ecclesiæ TRAIECTENSIS. Ipse quoq; officio suscepto, timore Domini repletus, opera bona quotidie multi-

tipli-

tiplicabat. Porro Rex cum almitatem & prudentiam eius cognosceret, diligebat eum præ omnibus Pontificibus & optimatibus suis; & cum eo summum tenebat locum: Et non sine causa, sed merito regie dignitatis & summe sapientie & sancte religionis ab eo electus fuit. Nam LAMBERTVS Pontifex consilio validus, & omni sapientia doctus, & religionis celsitudine præditus, statura procerus, facie decorus, cesarie formosus, oculis fulgidus, manibus pulchris, cum digitis longis honestus, carne candidus: & quid plura loquar? a planta pedis vsq; ad verticem capitatis irreprehensibilis erat.

Sed postquam gloriosus HILDERICVS ab impiis & crudelibus carnificibus interfectus fuit, tunc omnium bonorum inuidus, cum aduersariis sæuissimis, iniqua & falsa consilia machinantibus, vt eundem Sede Pontificali eiecerent, contra Beatum virum festinus insurrexit. Et ita eius & eorum præualuit iniquitas, vt eum absq; causa & sine culpa de Sede sua deponerent, & honore debito priuarent. Postquam autem talia peregerunt, FARAMVNDVM in cathedra illius constituerunt. Tunc electus DEI Lambertus Pontifex consilio diuino admonitus perrexit ad monasterium, quod vocatur STABOLAUS: & nec amplius, quam duo pueri in eius obsequio permanserunt: Vnus autem ex ipsis nomine THEODOHENVS multa nobis de vita & operibus eius solitus est enarrare, qualiter deuotione intentissima per annos septem ibidem vitam sanctam & angelicam conuersationem in laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, in orationibus, in charitate, in longanimitate, in omni puri cordis custodia exegit, & Sanctorum exempli imitatus est. Pater autem Monasterij & omnis congregatio cum magna pietate atq; benignitate diligebat atq; venerabatur illum. Nam constantie virtus magis magisq; in

eo fulgebat. Et dum vir venerabilis Lambertus Episcopus in præfato Monasterio moraretur, consuetò more in medio noctis expergiscens, contigit, vt solus ad orationem sancto studio pergeret; porrigens manum arripiensq; scandalia, alterum eorum de manu eius in pavementum cecidit, & vsq; ad auditum sonum effecit. Hoc audiens pater Monasterij, nesciens, quis hoc egisset, ait, Quisquis istum sonum fecit, statim ambulet ad CRUCEM. Tunc Sanctus vir religiosus illico obedientiam sine mora secutus, nudis plantis, pedibusq; discalceatis, & aspero cilicio indutus, clam de lecto exiliens, festinus vsq; ad CRUCEM cucurrit. In illo autem tempore brumalis circulus nimio frigore & glaciali niue algecebat. At ibi DEI famulus immobilis persistens, & erectis manibus, inflexibilia brachia extendens, & psalmorum cantus efficaciter exercens, nimia aëris tempestate constrictus, inuictus miles in magno labore persistens morabatur. Interea nix vsq; ad talos ipsius peruenit. Dominus autem, qui cuncta gubernat, & omnia, antequam fiant, præuidet & scit, serui sui non immemor misertus. Nam dum in quadragesimo primo psalmo hunc versiculum cantaret, id est, Quando veniam & apparebo ante faciem Dei, hoc per Dei clementiã contigit, vt in illa nocte gallorum cantus citius, quàm vt singulis quibusque noctibus solebat, audiretur. Et nec mora, Fratres monasterij, pulsato signo ingredienti ad vigilias; & Officio peracto festinanter de templo exeuntes, ac nimio frigore compulsi frigescentia corpora calefacere cupientes, domum introgressi sunt; interea dum athleta Dei fortius certando, & in orationibus assiduis laborans, iuxta Domini CRUCEM fixus persistabat. Tunc pater monasterij requirens inquit: An habemus omnes fratres nostros? At vnus è fratribus respondens dixit ei; Ego te hac nocte de alio sonum faciente iudican-

Psalm. 40.

dicantem audiui, vt de eo, quod incautè egit, iuxta CRUCEM pœniteret; sed prorsus quis esset ignoro. Adhuc illo loquente alius de fratribus intrauit dicens, Verè dominus Lantpertus hac nocte lōgo temporis spatio iuxta CRUCEM discalceatus perseuerat. At ipse Abbas tremiscens conuersus ad fratres dixit, velociter ite, & pedibus eius corpora vestra prosterne, & vt ad nos veniat, humiliter postulate. At illi mox currentes, iuxta CRUCEM stantem inuenerunt. Ipse verò dominus Apostolicus capite & humeris & toto corpore niue contactus, respondens eis talia verba prœmebat: Cor contritum & humiliatum Deus non spernit, & reliqua. *Psal. 50.* Illi verò, qui missi fuerant, postulantes dixerunt: Domine quasi legati pacis, ad vos missi sumus. Pater enim noster cōmunis obsecrat, & fratres omnes deprecantur, vt ad illos pergatis. At ille ebedienter & humiliter precibus eorum consensit: & postquam in comitatu eorum in illam domum, in qua fratres erant, introiuit, statim Pater Monasterij simul cum Monachorū agmine ad pedes Pontificis prouolutis genibus veniam postulans ait: Ignosce mihi Pater, & secundum clementiam tuam indulge; quia nesciens peccavi, quod sic insipienter egi: da indulgentiam tuis deuotis famulis. At ille respondens dixit: Si vos insipienter & imprudenter fecissetis, ego à Deo indulgentiā postulassem & vobis libenter cum caritate debita vestra ex toto corde dimissem: Quia verò secundum regulam Ecclesiasticam, & secundum Monachorum instituta rectè iudicatis iuxta possibilitatem virium mearum, veluti seruus inutilis vestris obtemperavi prœceptis. *2. Cor. 11.* Nam sciebam quod *1. Cor. 9.* secundum exemplum Pauli Apostoli frigori & nuditati & *Ahor. 14.* feruituti corpus meum subijcereme oportet. Ipse enim dixit: *Roman. 8.* Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū cœlorum. Et rursum: Non sunt condignæ passionēs huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Z

Nam



Nam quantum in hoc seculo flagellis atterimur, tantum in futuro gaudebimus. Et ideo nullus labor durus, nullum tempus longum, quo vita aeterna acquiratur. Continuo fratres osculantes manus eius & pedes, balneum & alia indumenta, quasi ad aliquod corporis eius solatium pararunt; & ad inuicem mutuo talia verba dixerunt: Dominus nobis in hac nocte pro eius augenda gloria, & pro lucris praeiorum promerendis, haec opera oculis hominum abscondita, sed obtutui diuino manifesta nota facere voluit.

Post septem vero annos expletos **FARAMVNDVS** de Sede Pontificali & de prouincia **TRAIECTENSI** depositus & repulsus est. Tunc agmina clericorum, & vulgus promiscuum populorum & plebium submissa voce & deuotis precibus precabatur, vt pastorem eorum, id est, dominum **LAMPERTVM** recepissent. In illo tempore **PIPINVS** princeps in plurimis regionibus & ciuitatibus Europae regnans, auditis operibus beatissimi viri, sub vnus diei articulo iussit eum cum magno honore ad propriam sedem reuocari. Quanta autem exultatio vniuerso populo fuit? Quales laudes & quantos hymnos sacerdotes cum leuitis, monachorum agmina & vniuersi clerici, laudem Christi vociferantes, aduenae & peregrini, inopes & pauperes, viduae cum pupillis in eius aduentu cantabant? Si per singula curram, longum est enarrare. Et quid plura loquar? Nam vt sententiam eius concludam: omnis terrae **FRAŅCORVM** habitatores, quasi vnum ex Apostolis suscepissent, nimio cordis desiderio laetabantur. Regressus autem dominus Apostolicus ad urbem propriam, institutionis suae norma quotidie in bono crescebat. Sed qualem se Deo exhibuit, qualemque se Deo adiuuante praestiterit, quis digne explicare, vel quis tanta copia verborum instruere, aut quae oratio tantae affluentiae vbertate exundans cuncta eius bona opera queat exequi? In lege enim

Domini

Dñi sine lassitudine persistens nulla cōuersatione noxia se  
 coinquinabat. Actus suos oī hora præuidens & corpus suū  
 omni custodia conseruans oculum mentis in Dño semper  
 defixū habebat. Pedes suos ad Euangelizandam pacem di- *Roman. 10.*  
 rigens, consiliū & opus suum semper ad Dñm conuertebat.  
 Et sic fidelis seruus & prudens à dño terrestri cōstituitur, vt  
 eius familiæ corporalia alimenta opportuno in tēpore tri-  
 buat, sic ille populum sibi cōmissum omnimodis sacræ do-  
 ctrinæ cibus & spiritalibus verbi Dei alimentis reficere cu-  
 rabat, ac subiectos suos à consuetudine peccandi omni cor-  
 poris & animæ virtute retrahere nitebatur. Erat enim spi-  
 ritu feruens, sollicitudine impiger, operibus clarus, inter di-  
 tites & pauperes medius; non potentium personas, sed po-  
 tius mores electos respiciebat. Et quantum vnumquemq;  
 viuere sanctius videbat, tanto illum eminenti<sup>9</sup> honorabat.  
 Ipse quidem pauperibus cibum scenerans, & vinas ad dan-  
 dum tendens, mercedem præstolabatur ex alto. Quando  
 autem Monasteria visitabat, & populum diuino sermone  
 exhortabatur, statim elemosyna prædicationem sequeba-  
 tur. Et quicquid pauperibus conferebat, quasi Deo obtu-  
 lisset, lætabatur; illam Domini sententiam memorans, qua  
 dictum est: Beati misericordes, quoniā ipsi misericordiam *Matth. 5.*  
 consequentur. Cum autem vestimenta pretiosa ex more  
 Pontificali preparabantur, aliquoties deformibus & vilibus  
 indutus erat vestibus. Quia vnde alij extolli, ex hoc ille se  
 semper humiliare studebat. Sedile eius propriū nunquam  
 ornabatur. Sic itaq; animo forti militans, corpus & animam  
 suam Christo subiiciens à dextris & à sinistris bonis operi-  
 bus se armans, & Christianæ doctrinæ propugnaculis om-  
 nes suas voluntates bonas muniens, honorem huius sæ-  
 culi velut volucrem ventum & vanum somnium aut quasi  
 euanescentem in auras fumum, sicutq; velocissimi fluminis

fluxum reputabat, subditos humiliter suscipiens, fratresq; delinquentes occulte corrigens & coram omnibus arguens, in prosperis & aduersis DEVM semper benedicens; omnia aduersa & pericula constanti animo patienter tolerabat, animi & corporis castitatem seruans, Christianorum plebi saluberrima præcepta præbens, vrbes & municipia sibi commissa Euangeliorum doctrina illuminabat; mirabilem quoq; errorem gentilium repellens, incredulitatis eorum frigus fidei calore fouebat. Itaq; in his omnibus coruscans virtutibus, rumor eius in omnes Europe partes per fideiura ora volabat. Sicq; in fide gloriosus, in misericordia largus, in disciplinis strenuus, in seueritate iustitiæ terribilis, in gratia promptus, ad ignoscendum paratus, in pastoralis cura sollicitus, cursum vitæ huius irreprehensibiliter peregit.

Quodam itaq; tempore *TEXANDRIAM* ingressus plurima idolorum templa & simulachra ibidem destruxit, atq; in Christi charitate securus & fidei feruore roboratus, quasi signifer belligerator omni timore ablato, fremitum Gentilium oppressit, & prædicato nomine Christi innumeras infidelium turmas, ad viam veritatis & ad fidem DEI conuertit. Illi autem, qui primum velut ferocissimæ bestię cum discerpere cupiebant, postmodum Sancti viri bonitatem attendentes, in tanta mansuetudine & fide Christi, vt ipsum imitari optarent, confirmati. Sicq; demum caelestia dona demonstrans, & euangelicos sermones prædicans, ceu radius solis partes illas illuminabat. Vsu itaq; barbarorum abiecto, fetoremq; idololatriæ odore suauissimo, quasi ex aromatibus confecto repellens, cum omni auctoritate gentibus prædicabat, & semper suauissimam de his, quæ DEI sunt, allocutionem habens, Apostolicam normam in doctrina diuina seruans & recte arguens, clementer quod credebat docens, & quod docebat

bat implens, in vigiliis, in orationibus, in ieiuniis, in elemosynis, conuersationem suam confirmabat. Hinc cursum consummans coronamq; iustitiæ expectans ante oculos eius semper dies vltima versabatur. Huiusmodi ergo Lambertus Pontifex studiis exercitatus, in omnibus cum diuina gratia comitabatur, & vberius bona opera perficiens, plura & maiora quam narrantur peregit, quæ nunc per linguam narrantis euolui nequeunt. Et cum iam Dominus sanctum Lambertum ad supernam gloriam vocaret, vt propter tanta opera dignam redderet ei mercedem, aduersus eum duo pessimi homines id est GALLVS & germanus eius R1OLDVS insurrexerunt, & seruos ac subiectos Traiectensis Ecclesiæ per praua opera & per nimiam malitiam, vt nullus sufferre potuisset, persequebantur. Cum autem de manibus eorum euadendi locus non esset, amici Pontificis ira repleti, tristitia constricti, magna calamitate compulsi, multis iniuriis oppressi, sicut meruerunt, eisdem interfecerunt. In illis autem diebus DODO proprius consanguineus eorum, qui interfecti fuerant, supradicti Principis PIPINI domesticus erat, & possessiones multas & in obsequio eius pueros plurimos habebat. Cum autem proximorum necem audiret, virorum fortium magnam copiam collegit ad præliandum; moxq; beatum Lambertum Pontificem interficere cupiens cum magno exercitu irruit, & ad villam, cuius vocabulum est LEODIVM, super fluvium qui vocatur MOSA, positam perrexit. Tunc autem gloria Pontificis & DODONIS pœna appropinquante, sanctus Lambertus in villa, quæ vocatur Leodium, relictis discipulis, sicut solitus erat, solus ibat orare; & totam spem suam in Domino ponens, psalmorum cantus & vigiliarum studia pene vsq; ad lucis ortum orando perduxit. Postea vero ad discipulos reuersus, ostiumq; domus in qua erat,

baculo pulsans dixit, Expergiscimini & exurgite, iam enim  
 appropiat hora, in qua nos psallere Domino in matutina  
 lætitia oportet. Fratribus itaq; ad eius primum sermonem  
 surgentibus, tunc vna cum illis matutina compleuit obse-  
 quia; officioq; peracto ad domum regressus, pro tantis la-  
 boribus & pro multis bonis operibus, quæ semper ab in-  
 fantiæ suæ exordio feliciter peregit, multas gratias Domi-  
 no omnipotenti referebat. Et in ipsa nocte, sicut consue-  
 tus erat, vigiliis & nimia lassitudine grauatus in stratu suo  
 paululum requiescere cupiebat; nec tamen diu soporatus,  
 mox se ad orationem conuertens, in oratione commora-  
 tus multas Domino querulas effuderat preces. Mans vero  
 aurora resurgente vnus (*quidam puer*) ex famulis eius nomi-  
 ne BALBOVEVS, cui vigilandi cura in ipsa nocte à domino  
 Apostolico fuerat iussa, ad causam foras perrexit; qui mox  
 turbam multam hostilis exercitus perturmas & cuneos ven-  
 nientem, nebulaq; sequente tectam conspexit. Et nonnul-  
 li de ipso exercitu dominum Lambertum sequentes, super  
 ipsam domum, in qua ille nocte habitauit, Dominicæ CRV-  
 cis signum clarius aurora fulgens videntur. At multitudo  
 virorum ad bellandum præparatorum loriceis, & galeis, cly-  
 peis, & lanceis, gladiisq; atq; sagittis eum pharetris præcin-  
 ctorum, filium perditionis, DODONEM videlicet impiissi-  
 mum armata præcessit. Et quem Christus inter lupos fe-  
 rocibus dentibus ad deglutendum rapacissimos misit, vt  
 ouis mitissima ad immolandum ducta inuentus est. Cum  
 vero DODO & sodaliū eius plurima multitudo appropin-  
 quasset, sepibusq; ruptis & ianuis fractis intrare cœpisset,  
 memoratus puer subito currens, Pontifice nec adhuc dor-  
 miente, quodq; ad agonem properaturus esset, nesciente,  
 hæc quæ circa eum agebantur, nunciauit. Tunc Lambertus  
 quasi fortissimus præliator, apprehenso gladio contra  
 hostes.

hostes suos pugnaturus accessit; & Christum cuius semper  
 auxilium postulauerat, orans, & de altissimo eius adiutorio  
 tacita mente confidens; nec mora gladium de manibus  
 suis proiecit dicens: Si fugero, mortem deuitabo; sin autem  
 perstitero, vincam, aut moriar; sed ne aliquando victoriam  
 meam perdam, DEI ero. Melius est mihi in Domino mori,  
 quam in impios bellantes manus iniicere. Hæc eo dicente,  
 ecce subito ad ostium domus eius impij venerunt, & lance-  
 as suas in parietes domus defixerunt, & plurimi ex eis do-  
 mum ingressi sunt. Tunc Lamberti duo nepotes id est PE-  
 TRVS & AVDOLECVS surgentes, arreptisq; fustibus eosq;  
 fortiter percutientes, mox ipsos fugã inire compulerant.  
 Tunc Lambertus ad nepotes & ad iuniores suos ita loqui  
 exorsus est: Si me sicut & ego vos diligo, amatis, Christum  
 sicut & ego diligite, & inuicem peccata vestra confitemini.  
 Me autem dissolui & cum Domino viuere oportet. Vnus  
 autem ex nepotibus eius nomine AVDOLECVS ait ad illum:  
 Domine mi an audis, quid ibi foris inimici DEI proclamãt?  
 Ignem, inquit, iniicite, vt domus succendatur, & arde-  
 ant viui. Tunc Lambertus respondit, Persecutorum sæ-  
 uitiam non timeamus; quia & ignis nostras iniurias vindi-  
 cabit, & carnes eorum vsq; ad medullas consumet. In Deo  
 faciemus virtutem & ipse ad nihilum inimicos nostros de-  
 ducet. Tunc nepotibus suis ait: Recordamini, quod rei  
 & noxij vos in crimine isto fuistis; nescitis quod DEVS pec-  
 catores bis non iudicat: non peccata inulta dimittit; sed  
 quod iniuste tunc egistis, modo iuste recipite. Cur ad me  
 vos venistis? In conspectu autem eorum manifestè ambu-  
 late; & quod per arbitrium vestrum deliquistis, per iudici-  
 um Domini recipite. Melius est enim carnes nostras ad  
 lacerandum tradere, & manus nostras seruare innoxias, vt  
 spiritus vestri perpetue salui fiant, quàm malum pro malo  
 reddere.

*Psalm. 107.*

*Psal. 9.  
Matth. 23.  
2. Paralip. 24.*

reddere. Tunc vnus ex nepotibus eius nomine AVEOLE-  
CVS respondit: Nunc meditare in lege Domini tui, & opus  
eius quod feliciter cœpisti perfice; & sicut Dominus vult,  
ita nobis contingat. Tunc sanctus LAMBERTVS arrepto  
psalterio, ipsam primùm reperit sententiam. Quoniam re-  
quiret Dominus sanguinem sanctorum suorum. Sicut Za-  
charias, quem intra templum & altare interfecerunt, ait,  
Videat Dominus, & requirat; ita & iste inuidus & firmus  
permanens talem versiculum inuenit: Quoniam requi-  
ret Dominus sanguinem seruorum suorum. His autem di-  
ctis, omnibus extra cubiculum repulsis, brachia sua in si-  
militudinem CRVCIS extendens, & orationem cum la-  
chrymis fundens, & corpus suum ad terram prosternebat.  
Tunc subito carnifices peruenerunt, & domum ingredi-  
entes, omnes quos ibi inuenire poterant interfecerunt.  
Vnus autem ex ipsis intrans super tectum cubiculi, in quo  
sanctus LAMBERTVS orabat, iaculo teli iugulauit eum.  
Quo factò, felici cruore membris perfusus, beatum red-  
didit spiritum. Ad cuius famulatum Angeli præstant ob-  
sequium, & cum magna claritate & tripudio animam eue-  
hunt in cœlestem paradysum. Passus est autem sanctus LA M-  
BERTVS XV. Kal. mensis OCTOBRIS. Paucis itaq; famulis  
eius euadentibus, corpus beatissimi LAMBERTI, in nauic-  
ula, sub vili tegmine coopertum, remiges vsq; ad sedem  
Pontificalem TRAIECTENSIS Ecclesiæ perduxerunt. Hoc  
autem magno scelere per oppida nunciato, quod domi-  
nus LAMBERTVS Martyr effectus est, vniuersa regio con-  
tremuit, & vehementer in pauore conuersa fuit, dicens:  
& habitatores multarum prouinciarum mutuo loqueban-  
tur: Si diutius in mundo habitaret multa bona per eum cre-  
scerent. Nunc autem quia absentiam eius ferre non pos-  
sumus, vt simul cum illo interempti fuisset, optamus.

Et

Es hæc inter se conferentes, nullo modo à fletu abstinere se poterant. Hinc subito currente nuncio omnes plateas rumor compleuit. Vniuersi habitatores ciuitatis lugebant; omnes tristitia & metu repleti sunt; Proceres cum silentio amarissimè flebant. Ergo cum corpusculum ad portum peruenisset, atq; ex more de naui depositum esset, in fere-tro ad Basilicam sancti PETRI delatum est. Postò clerici cum hymnis, populus cum lamentis ibi excubias vicissim agentes, noctem peruigiles exegerunt. Crastino autem die, non audentes decoratum præparare sepulchrum, cum magno metu patris cadauer in tumba composuerunt; & magno saxo confestim coopertum est; ibiq; cum digno seruabatur honore, quod in fine resurget in gloria. Omnis panè ciuitas in obsequium funeris ruit. Tali pompa Pastor cruorem fudit in sine. ANGELI autem DEI, custodientes monumentū diebus ac noctib<sup>9</sup> in ipsa Basilica psal-lentes, ad instar vocis beatissimi LAMBERTI, modula-tione dulcissima resonabant; quos multi ex loci illius ha-bitatoribus audiebant, & mirantes introire Basilicam cur-piebant; sed nullo modo ausi erant. Et cum ad locum san-ctum, vt certius auditu intelligerent, appropinquabant; mox voces psallentium paulatim resiliabant. Cumq; lon-gius regressi essent, dulciter cantus resonabat. Sic famu-latus Angelicus permanebat iuxta sepulchrum beati Pon-tificis, ac triumphalis Martyris permanebat: cuius spiri-tum beatorum chorus angelorum ad cælestis regni glori-am subleuantes cum lætitia & exultatione ante eximios Pontifices & candidatos Martyrum collocarunt. O inef-fabilis potentia, ô Creator humani generis, quis tuam in-uestigare misericordiam potest, qui tanta seruis tuis osten-dere dignatus es, vt non solum animas eorum, sed & ca-dauera Angeli custodiant? Promissa tua redemptor seculi,



quis dubitare potest, qui humanum genus perire non permittis?

FINIT VITA VEL OBITVS SANCTI LANDEBERTI  
EPISCOPI.

=====

INCIPIT REVELATIO EIVS,  
QUE FACTA EST, POST CIRCVLVM  
VNIVS ANNI.

**P**OST EA anni circulo expleto in visione nocturna sanctus LAMBERTVS thesaurario AMALGISTIO, qui olim iudex eius fuerat, apparuit, & leniter cum eo loqui cœpit. At AMALGISTIVS causam aduentus eius diligenter interrogabat. Sanctus autem LAMBERTVS respondens dixit; Visitando Reliquias PETRI & PAULI ROMAM adiuimus, & reuersi sumus. De inimicis nostris, hoc est, de DODONE facere solliciti sumus. Nam tempus est, vt debitum exoluant. Visionem autem & verba huiusmodi confestim opera sunt secuta. DODO enim, qui primus & princeps necis LAMBERTI fuit, ultione diuina percussus, omnibus intestinis, putrefactis, foras proiectis, infelicem & pessimam vitam finiuit, & in profundum inferni retrusus, cruciatus sine fine perpetitur. Satellites autem DODONIS & consanguinei eius crudeles, qui in opere & in consensu sanctum LAMBERTVM peremerunt, tumultuoso impetu inter se dimicantes inuicem se interfecerunt. Ille autem, qui specialiter eum punxit, à germano suo crudeliter interfectus est. Alij autem ex eis à dæmonibus vexati, & diuersis generibus vocum vlulantes, quæ humana natura contremiscebat, audire Lambertii nomen ac auscultare formidabant: & paucis ex eis, expleto anno, remanentibus, cæteri omnes pessima & turpissima mor-

morte præuenti miserrimam & amarissimam vitam amiserunt; & in igne perpetuo, qui diabolo & Angelis eius præparatus est, pœnis & tormentis ineffabiliter cruciabantur: *Math. 24*  
Sanctus autem Lambertus, insignis Martyr, palma victoriæ coronatus, cum Angelis & Archangelis & cum omnibus semper exultat in sæcula iustis.

Suffragante Domino narrare volumus, quod nuper post aliquos annos, sanctus Lambertus per visionem, cuidam viro venerabili apparuit, vt sine aliquo cunctamine corpus suum ad LEODICVM deferretur: & hoc idem sacerdotibus & fidelibus viris, Deum timentibus, multis reuelatum est modis. Sanctus autem HUGBERTVS, qui quondam LAMBERTI discipulus fuit, quiq; illo tempore in hac regione Pontifex erat, auditis his miraculis, cum timore Dei festinans, ordinem rei diligenter inquisiuit, & cum omnia sciscitatus esset, cum senioribus loci illius consilium iniens; & sciens, quod Dei nutu omnia reuelata sunt, iussit, vt corpus beati Pontificis absq; vlla dilatione ad locum prædestinatum cum magno honore deferrent. Præparauit etiam vestimenta ornata, quæ necessaria essent de sacratissimi corporis cura; & accessit cum multis sacerdotibus & leuitis & cæteris clericis psallentibus, & cum magna præterea Christianorum multitudine, quæ circa beati Martyris corpus psalmos & hymnos & cantica, secundum diuinæ religionis ritum pia deuotione decantabat. At venerabilia membra Christi Martyris odore suauissimo flagrantia HUGBERTVS Pontifex solida & inlibata reperit, & cum timore & honore maximo de sepulchro eleuans, in preciosis vestimentis illa inuoluit. Ea quoq; quibus dudum fuerat indutus, sub sigillis cum magna cura reposuit. Hinc inde fratrum fideliter psallentium choricum cymbalis canoris, organisq; suauissima mo-

dulatione sonantibus concinebant. Et hinc Angelorum  
 agmina in excelsis psallentium & omnipotentem Domi-  
 num de triumpho martyrij Lamberti laudantium, ab ido-  
 neis testibus visa & audita sunt. Porro omnis plebs vario  
 concentu & intermixto gemitu, antiphonarum quoq; so-  
 nitu concinens, & præ magnitudine tristitiæ vix hæc ver-  
 ba sequentia explicare potuit: O pastor bone, cui hanc ple-  
 bem seruandam committis? O dulcedo pauperum, o for-  
 titudo debilium, o illuminator gentium, noli deserere  
 nos, quos diuinis verbis, exhortationibus spiritualibus,  
 sicut pater vnicum filium ammonebas & consolabaris. His  
 autem dictis turba multa rectum iter carpens sanctum LAM-  
 BERTVM prosequebatur. Resocillata autem plebe in lo-  
 co, qui vocatur NIVIALLA, contigit, vt alius pauper cæ-  
 cus cupiens feretrum attingeret, & lumen recepit, & cum  
 magno gaudio laudes Dei vociferans, & gratias ei & Lam-  
 berto referens pergebat. Egressa q; inde turba corpus san-  
 ctum in villam, cuius vocabulum HERIMALA, vexerunt,  
 Dumq; ibi commorati essent paululum, ad augendam  
 populi fidem, & ad famam sancti accumulandam, insti-  
 gante Domino, alius contractus in conspectu populi alla-  
 tus est. Qui cum aspexisset feretrum, subito omnes com-  
 pagines membrorum eius solidata & confirmata sunt: ac-  
 que illo LAMBERTVM prosequente omnis populus glorifi-  
 cabat Dominum. In præfatis autem locis, in quibus Do-  
 minus has virtutes operari dignatus est, à fidelibus & de-  
 uotis Christianis Basilicæ venerabiles in honore sancti  
 LAMBERTI ædificatae sunt. Post hæc turba vniuersa cum  
 sancto ad optatum locum peruenit, ac omnes habitato-  
 res loci illius gaudentes ac exultantes, in occursum de-  
 siderati corporis exierunt; & cum honore magno suscepe-  
 runt, & dignam ei præparauerunt mansiunculam: quæ  
 opere

*Nivella.*

*Harualt.*

opere artificum mirabili & copiosa mole auri & argenti & gemmarum & lapidum preciosorum ac diuersis lrueturæ speciebus in eundem locum à potentibus collatis, ita fabricata est, vt vix sermo narranti sufficiat exponere. Ibi-que, vt decebat, urbana & venerabilis nritifica memoria, hac prægrandis Ecclesiâ, composita est; ampliusq; quotidie deuoti Christiani eam venerantur. Ibi cæci lumine recepto, leprosi plurimi scabie mundati, paralytici læsione corporis curati, à dæmonibus vexati resipiscetes, diuina largitate & gratia sani efficiuntur. Sed si quis sigillatim omnia mirabilia, quæ ibidem Deus per merita sancti LAMBERTI assidue operatur, vt gesta sunt, nunc enotescere voluerit, fastidium legentibus inrogabit. Pauca verò, quæ de vita & de virtutibus eius narrauimus, omnibus auditoribus fidem certam præstare debent; dum hodie iuxta tumbam eius in argumentum rerum probandarum cippi fracti ostenduntur, & plurimæ catenæ & compedes rumpuntur. Claudi gressibus solidatis, & diuersis infirmitatibus vexati, omni languore de corporibus & anima eorum ablato, incolumes ad propria loca reuertuntur. Dum autem in paruis præcedentibus temporibus multa quidem miracula sunt gesta; quis modo digna æstimatione comprehender, quanta & qualia per prolixa temporum spatia gerenda erunt, dum nunquam iuxta beati præsulis atq; gloriosi Martyris tumbam vsq; in hodiernum diem signa & mirabilia fieri cessent, per auxilium Domini nostri IESV Christi, qui cum Patre viuit & regnat Deus in vnitate spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum.

Amen.